

Si sustinemus, et conregnabimus cum Christo.

Léctio Epístolæ secúndæ beáti Pauli apóstoli
ad Timótheum

2, 8-13

Caríssime:

- ⁸ **M**emor esto Iesum Christum
resuscitátum esse a mórtuis,
ex sémine David,
secúndum evangélium meum,
⁹ in quo labóro usque ad víncula quasi male óperans;
sed verbum Dei non est alligátum!
¹⁰ Ideo ómnia sustíneo propter eléctos,
ut et ipsi salútem consequántur,
quæ est in Christo Iesu cum glória æténa.
¹¹ Fidélis sermo:
Nam, si commórtui sumus, et convivémus;
¹² si sustinémus, et conregnábimus;
si negábimus, et ille negábit nos;
¹³ si non crédimus, ille fidélis manet,
negáre enim seípsum non potest.

Verbum Dómini.